[illegible] Adolf[illegible]
[illegible] de [illegible] hujusq[illegible]
[illegible] meritorum Heroum filijs
IOA[illegible] Prestonio, [illegible]
IOA[illegible]TON, Equitis aurati, [illegible]
[illegible] Baronis de Ardrie, &c.
ROB[illegible] Arnot, filijs generos[illegible]
Domini Iacobi Arnot Baronis de Fernie &
sub [illegible]bilium Adolescentum nomi-
ne [illegible] Christianæ juventuti.

3 *[illegible] hujus libelli dedicatio.*

S[illegible] soboles gregis sacrata,
[illegible]tum & generositate Patrum,
Christi [illegible]ficam fidem professa,
Ævi in limine quæ cupis vige[illegible]
Lymphis Castaliis rigare labra,
Si praxin latiæ petis loquelæ,
Non linguæ modo prolixitatem, at intus
Quæ pectus renovare possit ipsum;
Hunc [illegible] assiduo labore notum.
Sancto quo docet exitum [illegible]
Et mores pietate mentis [illegible]
Sic carnis juga fœda [illegible]
Sic mentis male [illegible]
Pe[illegible]diq; ty[illegible]
(Cœptis aux[illegible]
Sic vivas mori[illegible]
[illegible] De[illegible]

LIBELLI

LIBELLI
Perioche euctica & Apologetica.

NON ego vaniloquûm vatũ figmenta recludo
Nec cano Phlægreis *agmina fusa locis:*
Fingo equidem doctã sed sancto in pectore linguã
Virtutem eloquio jungere cura fuit;
Quæq́ animũ renovet pueris quæ corpus honestis
Moribus exornet profero pædatriben:
Quam beet, oro, Deus veræ pietatis alumnis,
Quam Sophiæ gnatus justificârit ovans:
Quum fidei veræ conformiter omnia tradat
Christicolas facili quum brevitate juvet.

Ad Adolescentulos veræ religionis studiosos Tetrastichon paræneticon.

Si bene te latiæ praxin cognoscere linguæ
Tiro juvat, sanctè & discere sancta loqui;
Hæc acri conscripta stylo faciliq́, libellus
Exhibet, eximiæ sedulitatis opus.

M. Ia. Spense. S. S. Evangelij Minister.

Pædagogiæ moralis pars prior de pietatis *puerilis exercitio.*

INſtitutio puerorum ſcholaſtica eſt legitima ipſorum eruditio, in bonis literis & moribus: eſtq; precipuè grammaticalis aut moralis.

Inſtitutio grammaticalis eſt informatio puerorum in cognitione linguarum præcipuarum latinæ, grecæ, hebreæ &c. & circa orationis congruitatem, modulationem, & exornationem verſatur; quæ quidem, præcepta Grammaticæ Poeticæ & Rhetoricæ docent.

Inſtitutio moralis eſt eruditio puerorum in doctrina & monitis Domini & civilibus moribus: Ejus proinde duæ ſunt partes, vel enim tractat de moribus internis, ſeu recta animi ipſorum ad pietatem ordinatione; vel mores externos civiliter concinnare docet: licèt verò pars hæc perfunctoriè admodum tradatur & philomuſis delibanda duntaxat proponatur; eam tamen his maximè neceſſariam eſſe agnoſcunt cordati vbicunque Chriſtiani juxta illud verelogium. *Qui proficit in literis, & deficit in moribus, plus deficit quàm proficit.*

Inſtitutionis moralis pars prior hiſce tribus gradibus fructuoſe acquiritur. Primo, ſeria & pura invocatione

one Numinis ad tenellæ ætatis ſtudioſorum ſtatum conformata; quam primo loco praxeos non cognitionis reſpectu conſtituo. Secundo, intelligentiâ & repetitione principiorum pietatis, ſimulq; ſententiarum divinarum illa confirmantium. Tertio, aſſenſu & perſuaſione iiſdem adhibita: quod ſolus operari queat Spiritus Sanctus ſeriis precibus a Chriſto exorandus; præcedentes autem duos gradus ſequens tractatio ſuccincte & ſolide indicabit.

Meditatio matutina puero clàm in lecto vel juxta eum incurvato eructanda.

4 OStende mihi hodie, benedicte Iehova, viam æquitatis tuæ & fac vt in ea incedam. Averte oculos meos ne adſpiciant vanitatem: linguam contine ne proloquatur falſa aut impia: nec ſinito pedes aut manus meæ feſtinent ad malum. Renova animum meum tui notitiâ, fiduciâ, amore, & timore vero.

Adſit manus tua ad auxiliandum & benedicendum mihi & ſtudiis meis. Libera me periculis omnibus & conſortio malorum.

Fulcito cor meum contra omnes peccati illecebras.

Fac me præbeam obſequioſum parentibus & magiſtris meis, ipſoſq; revereat & intimè diligam.

Miſerationes tuæ amplæ ſunt, ſecundum eas condona mihi delicta & annue huic mentis meæ ſupplicationi propter Ieſum Chriſtum. Amen.

B *Alia metrica.*

Iehova ſumme & optime,
Tutela præſens omnium,
Qui mente pura te colunt,
Legum tuarum per viam,
Me continenter dirigas.

Bonique quicquid egero,
Id eſſe totum Numinis
Tui libenter prædicans,
Conſtanter integram meæ
Servem Redemptori fidem.

Hymnis

Hymnus matutinus diebus dominicis a Scholasticis ad Christum cantandus ex Buchan.

PRoles parentis optimi,
Et par parenti maximo,
De luce vera vera lux,
Verusq; de Deo deus,
En nox recessit, iam nitet
Aurora sancti sabbathi,
(Quod tu iubes sacrarier
Cultu tuo solenniter)
Eius, solum iam purpurat
Cœlumq; luce splendida,
Sed fuscat ignorantiæ
Caligo nostra pectora,
Et nubilis erroribus
Mens ah labascit obruta.
Mundi Redemptor unice,
Sol æquitatis, quæsumus
Exurge nostris mentibus,
Ipsas superne illuminans
Splendore verbi & spiritus,
Erroris vmbram discute;
Nostrumq; pectus molliens,
Calore lucis vividæ,
Humore purga noxio.
Fac transigamus hunc diem
Sanctè, abdicatis ludicris
Negotiisq; sæculi:
Fac te colamus intimè
In veritate & spiritu,
Congratulantes Numini
Indesinenter laudibus,

Precatio matutina puero in Schola reliquorum nomine publice concipienda.

SPirituum Pater almè, boni fons omnis & Author!
Corda hominum primo vitijs obnoxia ab ortu
Gratiâ inexhausta renovas qui solus in ævum.
Mentes irradia turbæ hujus lumine dio,
Noscere quò valeant fidi documenta Magistri;
Mnemas irrora turbæ hujus rore superno
Quò meminisse queant ediscere lectaq́, prompte,
Pectora divina sapientia amore repleto,
Ingenia & vegeto firmans hebetata vigore
Omnigena veri nos imbue cognitione.
Cœlestis favor ô cœptis arrideat æquis!
Excubet vsq́, schola divina potentia præsens!

Instaq́

Iustaque percipiant nostri incrementa labores,
Numinis in laudem venerandi hinc tandem aliquando
Et Patria & Patres carpatq; Ecclesia fructus.
Annue Sancte Parens votis his propter Iesum,
Peccatis redimens nos ejus sanguine cunctis,
Peccandi purgans dominatu Pneumate sancto:
Qui mortis Domini redivivæ vim quoq; vitæ,
Discipulis ludi renovandis applicet hujus.

Alia brevis precedenti subjungenda.

Christe Redemptor!	Turpe sequamur:
Vnica vitæ	Dirige nostræ
Regula sanctæ!	Singula vitæ
Agminis huius	Pneumate facta:
Disiice inertes	O tuo nostro
Mente tenebras,	Gratia semper
Nequasi verum	Corde vigescat,
Falsa probemus,	Teque perenni
Ne quasi pulchrum,	Laude canamus.

Precatio meridiana clàm puero concipienda.

DOmine Deus Author vitæ meæ, quæso ne me relinquas in hac ætatis meæ juventa pravitati naturæ meæ ab ipso ortu corruptæ, nec consortio consilioque malorum: Condona mihi peccata mea hactenus per errorem commissa nec sine in me luxurient aut prædominentur ad meam ruinam; aufer a me gigantæum animum, elationem oculorum, spes item inanes & cupiditates noxias: & contine me qui cupio servire tibi a ventris ingluvie, ab animo & vultu impudente, a sermone mendaci, impio aut probroso idque propter Iesum Christum Mediatorem meum vnicum.

Amen.

Consecratio mensæ.

AD te, Creator, omnium
Viventium se lumina
Flectunt, & escam in tempore
Illis ministras affatim:
Verbo tuo, convivio
Quo vescimur benedicito
Implens superna gratiâ
Illo fruentes singulos:
Indesinenter corpore vt
Alacriusque mentibus,
Sic serviamus Numini.
Amen.

Gratiarum Actio post cibum sumptum.

OQui potenti dextera
Cœli solique fabricam,
Perfeceras facillime!
O qui gubernas omnia
Mirabili prudentia:
Bonitate qui viventia
Solâ tueris singula,
Vt nomini cedat tuo
Insempiternum gloria.
Huiusce pastus gratiâ
Grates habemus: unice
Tuum rogantes filium,
Evangeli scientiâ,
Et Spiritus nos gratiâ,
Perennis in spem pasceret
Hæreditatis vividam,
Regem beato & Principem,
Reginam & horum nobiles,
Meos Parentes, Compatres,
Domesticos, & proximos
Gazis supernæ gratiæ,
Tui timore Numinis,
Et innovante cor fide:
Gregem piorum dirige
Multiplica tum protege,
Contra Antichristi astutiam,
Tyrannidemq; pessimam.
Amen.

Precatio vespertina publice sub Schola dimissionem habenda.

OMnipotens æterne Deus, Rex maxime Regum!
Larga benignus semper indulgentia!
Ingentes agimus toto de pectore grates:
Quòd nos adoptaris tuos in filios,
Nostraq; quod vitijs obnoxia corda novâris

In

In ſanctitatem & gloriæ ſpem gratiâ;
Munifice indignos quòd donis accumulâris,
Laboribus quod affatim benedixeris,
Quodq; per hanc lucem incolumes ſervâris, alendâ
Vitæ adminiſtrans commoda neceſſaria.
Quæſumus alme Pater, benefacta oblivio ſegnis
Ne mentibus tam magna noſtris deleat:
Neue caducorum ſtudium ſic faſcinet unquam
Animos, ſuperna negligamus vt bona:
Sed ſurſum erecti conſtanti tramite Chriſtum
Salutis Authorem petamus & ducem.
Perge etiam patriâ turbam hanc perducere curâ
Per noctis atræ ſoſpitem ſilentia,
Præſidioq; tui fulcire inſomnia contra,
Arteſq; Sathanæ fraudulentas Spiritus.

Amen.

Precatio nocturna, clàm ſcholaſtico ante cubitum concipienda DEO,

EX merâ tuâ gratiâ eſt miſericors Deus, quòd me tutò & incolumem per hunc diem perduxeris: te obnixè rogo eaſdem ſuper me meoſq; parentes, & cognatos excubias hac nocte agas.

Largire jam corpori meo quietem & ſomnum inſomniis malis liberum, & lætitiam animæ.

Cuſtodi vtrumque a ſuggeſtionibus Sathanæ, periculis & malis genijs: nam in manus tuas vtrumque commendo.

Fac mihi gratiam confitendi & deplorandi tibi ſeriò, de

delicta hujus diei: condona mihi ea propter mortem & merita filij tui,

Renova magis magisq; peccatricem naturam meam.

Inspira menti meæ cogitationes sanctas hac nocte, de tuâ erga me bonitate, meâq; pravitate vt hanc domare, illam celebrare valeam.

Annue meæ huic supplicationi, participes ejus reddendo omnes sanctos hîc militantes, supplendoq; nostris omnium defectibus, & adimplendo regnum filij tui, idq; propter ipsum illum benedictum Messiam nostrum. Amen.

Precatio scholastica pro cognitione verbi Dei, & principiorum pietatis.

DOmine Deus, in misericordiâ me humilia & timorem in me tuum effice, quò mysteria tua cognoscere valeam humilibus revelata, & occultata superbis.

Concede mihi intelligentiam verbi tui, quæ timorem illum anteit: ad hoc da mihi spiritum illuminationis & intelligentiæ per agnitionem verbi illius.

Sanctifica & confirma memoriam meam, adhoc ut reminiscar & retineam documenta sapientiæ tuæ.

Effice in me veram fidem ad obediendum ipsi, & largire mihi gratiam proficiendi in cognitione tui, & Christi.

Verba oris, & cordis mei vota hæc tibi accepta sunto, ijsq; annue propter Iesum Christum Redemptorem meum.

Alia

QVid juventam ne labascat servat æque ac lex Dei?
Rector orbis, æquitatis regulam tua doce
Me, tui oris verba semper ore vt mediter meo,
Illa cogitem, illa sector, illa mirer vnicè,
Illa, nulla e corde nostro deleant oblivia,
Obfirmavi animum tuis vt obsequar sermonibus:
Edoce me jussa, & oris hanc bonus cape victimam.

PÆDAGOGIÆ moralis internæ pars altera, de principijs pietatis, ad statum juventutis Christianæ, orthodoxè, succinctè, & dilucidè tradita.

Q. *QVomodo se præparārent communicaturi Cœnæ Domini?*

R. Explorarent & renovarent suam notitiam & praxin fidei in Christum, resipiscentiæ erga Deum, & charitatis erga proximum.

Quid est salvifica fides?

Est speciale Dei donum, quo electus quisq; vocatus ad gratiam per Evangelium, assentit cognitis hujus promissionibus, easq; sibi applicans, Christum cum ipsius meritis verè apprehendit ad salutem.

Vbi habetur hujus fidei summa?

In symbolo Apostolorum, continente professionem fidei cujuslq; Christiani, in Deum patrem, Filium, & Spi-

Spiritum ſanctum, & de vna vera Eccleſia.

Suntne hi tres Pater, Filius, & Spiritus S. tres Dij?

Hi tres ſunt vnus tantùm Deus, & vna divina eſſentia, in tribus his diſtinctis perſonis, Patre gignente, Filio genito, & Spiritu S. ab vtroque procedente, inenarrabiliter ſubſiſtens.

Quomodo deſcribit nobis Scriptura ſacra hunc Deum?

Deus eſt Spiritus vivens, intelligens, ſimplex, infinitus, immortalis, immutabilis, inviſibilis.

Quî præcipue dicitur Deus eſſe infinitus?

Deus eſt infinitus tempore, menſurâ, potentiâ, atq; ita æternus, immenſus, omnipotens; infinitæ item bonitatis, juſtitiæ, miſericordiæ, & ſapientiæ.

Qualiſnam hinc exiſtit Deus?

Deus hinc eſt ſummè ſanctus, glorioſus, & in ſe beatus, atq; adeo ipſa ſanctitas, gloria beatitudo.

Quid primò ſentis cum dicis, Credo in Deum?

Credo Deum eſſe, ipſumq; cognoſco, prout ſe revelavit in verbo ſuo.

Qualem ſe generaliter in eo patefecit?

Veracem & fidelem in dictis & promiſſis ſuis, & potentem ad ea præſtanda, & remunerandos quærentes ipſum.

Quid aliud credis eum dicis, Credo in Deum?

Quòd agnoſco Deum verum eſſe meum Deum; atq; ita in ipſum ſolum fiduciam omnem meam colloco.

Quid generaliter credis de Deo & deitate?

Credo æternum ejus decretum, quo ab æterno omnia in tempore extitura præſcivit, & ad certum finem præordinavit liberè & immutabiliter.

Quid

Quid ſpecialiter credis de hoc Dei decreto?

Credo Dei prædeſtinationem intelligentium creaturarum conſtantem ex electione gratuitâ quarundam ex ipſis in Chriſto ad vitam æternam; & rejectione reliquarum à participatione hujus divini amoris: quæ vtraque a merâ & liberâ Dei voluntate ab æterno promanavit.

Quid ſolatij perciperet Chriſtianus ex hac electionis æternæ & gratuitæ doctrina?

Maximum certe, non inquirendo in eam anxiè; ſed ſedulò utendo medijs electionem ſuã confirmantibus eamque de ſe ex iſtis credendo, vt pote fontem & primam ſalutis noſtræ cauſam.

Quare ipſam de ſe crederet quiſq; vocatus?

Quia idem verax Deus qui ſuos ad ſalutem elegit, eoſdem etiam ad media ſalutis participanda prædeſtinavit.

Quid primò credis de Deo Patre?

Quòd a ſeipſo ab æterno exiſtens, genuerit ab æterno filium ſuum ſibi coeſſentialem & æqualem penitus niſi ordine exiſtendi.

Quid ſecundò credis de ipſo?

Quòd in principio temporis per filium illum creavit omnia ex nihilo, & hominem ad imaginem ſuam.

Qua in re ſita erat præcipue hæc imago?

In eo, quòd anima primorum parentum differta fuit ſapientia, ſanctitate & juſtitia, ſeu integritate originali.

Quid tertio credis de Deo Patre?

Quod ſapientiâ & providentia ſua ſuſtentat & gubernat ſingula, adeoq; lapſum Adami & Evæ, & peccata inde conſequuta.

Qua

Qua in re ſitus erat lapſus ille?

In eo, quòd illi libertate ſua male vſi, & diabolo auſcultantes, Dei mandatum tranſgreſſi ſunt.

Quid hinc obvenit ipſis & humano generi?

Illi tranſgreſſione illa, ſe & omnem poſteritatem ſuam peccato, Sathanæ, maledictioni Dei & morti æternæ obnoxios reddidere.

Quid primo credis de Deo filio?

Quòd Ieſus Mariæ virginis filius ſit etiam æternus & vnigenitus Dei patris filius, quodq; poſt aſſumptam humanam naturam extiterit, in vna perſona, verus Deus & verus homo, ſine naturarum confuſione.

Quomodo & quando aſſumpſit humanam naturam?

Credo quod in plenitudine temporis, Auguſto Cæſare in Iudeam regnante, conceptus eſt Chriſtus in ventre virginis Mariæ, quem enixa eſt debito pariendi tempore.

Quid deinde de ipſo credis?

Quod hic Ieſus eſt ſolus Redemptor, Servator, & Mediator humani generis electi & meus, patri quá talis ſubjectus.

Quid credis de redemptione hominum?

Eſt electionis Dei effectus primus, quo Chriſtus electos homines omnes & ſolos in peccatum lapſos, morte ſua ab eo, Sathana & morte æterna redemit, ad ſerviendum Deo eumq; glorificandum.

Quare ſecunda perſona deitatis dictus eſt Chriſtus.

Quia conſtitutus fuit a patre ſummus ſacerdos Propheta & Rex eccleſiæ ipſius: quales perſonæ inungi ſolebant, diciq; vncti Domini.

Quibus gradibus credis illum officia hæc & noſtram

ſalutem

salutem peregisse?

Primò credo illum nobis fidelibus natum fuisse purissimum & sanctissimum hominem; vt nostram fœdatam naturam in sua sanctificaret, & se idoneum pro nobis Pontificem exhiberet.

Quis est secundus nostræ ab ipso peractæ salvationis gradus?

Christus vt summus Propheta, per se vel servos suos, revelavit nobis omnem voluntatem Patris sui, de salute nostra acquirenda.

Quis est tertius?

Christus vt summus noster sacerdos & fidejussor, Dei legem per totam vitam suam pro me, & reliquis in se credentibus implevit; passusque est mortem crucis pro nostris peccatis, & ante & post mortem assiduè pro nobis intercedit.

Quis est vltimus salutis nostræ a Christo peractæ gradus?

Resurrexit a mortuis, vt de morte & Sathana tanquã Rex triumphans, dona sua spiritualia nobis distribueret; nos ad se vocando, justificando, sanctificando, & tandem glorificando.

Quid fecit Christus postquam per 40 dies confirmasset resurrectionem suam.

Adscendit visibiliter in cœlum vt ibi regnum suum spirituale in animas electorum plene & glorioſe exerceret.

Quomodo se sic regnantem regem exhibet?

In eo quòd electos spiritu & verbo suo ad gratiam vocat, dirigit, tuetur, præscribens ipsis regimen & ministros ipsorumq; hostes debellans.

Quam-

Quamdiu sic regens manſurus eſt in cœlis?

Spiritu ſuo ſemper adeſt fidelibus in terris, ſed oportet ejus humanam naturam contineri cœlo, ad vltimum vſq; diem: quo in nubibus apparebit glorioſe, judicatum omne humanum genus; & tunc regnum illud tradet Patri.

Quid credis de noſtri vocatione?

Eſt effectus ſecundus electionis divinæ, quo Chriſtus per miniſterium verbi invitans homines cujuſvis gener ad communionem ſui & meritorum ſuorum; vocationem hanc in electis ſolis efficacem efficit per ſpiritum ſuum generando in ipſis fidem.

Quid credis de noſtri juſtificatione coram Deo?

Eſt tertius electionis divinæ effectus, quo Deus gratis propter filij ſui obedientiam ad mortem, remittit peccata omnia impio credenti; & huic imputat impletionem legis ab ipſo præſtitam, ad jus vitæ æternæ obtinendum.

Cur aſſerit Scriptura ex mera dei gratia & ſolùm fide hominem juſtificari coram Deo?

Quia tantum ex gratia eſt, quod Deus dignetur imputare nobis merita Chriſti; noſq; ea, non alia ratione niſi fide nobis applicare quimus, ad noſtri juſtificationem.

Quid primò credis de Spiritu ſancto?

Quòd ſit tertia Perſona deitatis, Patri & filio æqualis & ab ipſis ab æterno procedens.

Quid præterea de ipſo credis?

Colloco in ipſum, vt electorum omnium & mei ſanctificatorem & conſolatorem, fiduciam meam.

Quid credis de noſtri ſanctificatione ſeu regeneratione?

Est quartus electionis divinæ effectus, consistens in mortificatione naturæ nostræ conflictoria, huiusq; ad imaginem Christi renovatione.

Quid credis de Ecclesia universali?

Credo ipsam esse sanctam & peculiarem societatem hominum prædestinatorum ad vitam, & coadunitorum in Christo, directorum spiritu & verbo dei; meq; esse vivum hujus societatis & Christi membrum.

Quo primo dono ornavit Deus hanc societatem?

Credo omnes qui sunt ex hoc cœtu, habere communionem cum Deo cum Christo & inter se mutuo indissolubilem.

Quo alio dono ditavit Deus ipsam?

Credo omnes & solos qui sunt ex hac Ecclesia habere a Deo remissionem omnium peccatorum & justificari propter Christum ejusq; merita.

Quo vltimo perfecto dono beavit Deus eandem?

Credo eosdem solos tandem in Christo resurrecturos ad vitam æternam & plenarie, corpore revnito animæ glorificandos.

Qua in re sita est hæc nostri plena glorificatio?

Est quintus & vltimus electionis Dei effectus consistens in plena fruitione & visione dei; conjuncta cum naturæ nostræ restauratione seu sanctificatione perfecta: vnde nobis manabit gaudium ineffabile summa que & perennis fœlicitas.

Iam an omnes qui sunt in hac Ecclesia, potiuntur his donis?

Hypocritæ in hoc cœtu degentes, quia temporaria tantùm fide præditi sunt, hisce donis orbantur.

Quomodo igitur dignoscitur fides vera inesse profitentibus

tibus ipſam?

Ipſâ donati interiùs ſciunt ſe eam habere, ex ſpiritu ſancti & ſui ſpiritus renovati teſtimonio, exterius vero per fructus fidei ſalutiferos.

Quæ eſt ergo ſecunda pars examinationis Chriſtianæ?

Illa reſpicit reſipiſcentiam & novam obedientiam chriſtianorum ad Sacram Cœnam ſe accingentium.

Quid eſt reſipiſcentia?

Eſt primus fructus fidei, nos efficiens peccata noſtra ingenue & ſeriò apud Deum confiteri, deplorare, odiſſe, & mortificare, & ſimul pravitatem naturæ noſtræ; illumq; & pietatem vnice amplecti & approbare.

Nonne reſipiſcentia præcedit fidem?

Circa reſipiſcentiam tenenda ſunt duo, præparatio ad ipſam, & ipſius gradus: illa quidem præcedit fidem, ſed reſipiſcentia in iſtis gradibus conſiſtens ſequitur fidem vt effectus cauſam.

Quibus in rebus ſita eſt præparatio hæc?

In ſenſu peccatorum, in terrore judicii dei ob ea, & & in compunctione conſcientiæ: quæ ſingula efficiuntur in nobis, publicatione minarum legis divinæ; vnde reſipiſcentia primo prædicanda eſt.

Qui gradus reſipiſcentiæ noſtræ reſpiciunt peccata noſtra præterita?

Hi quatuor 1. pius dolor ob offenſum peccatis noſtris Deum. 2. agnitio & deploratio ingenua ipſorum coram eo. 3. ardens imploratio miſericordiæ ejus & condonationis. 4. ſenſus ejuſdem miſericordiæ

Qui gradus reſipiſcentiæ reſpiciunt peccandi noſtram pronitatem.

Hi quatuor 1. abnegatio noſtri ipſorum 2. ſubjectio animæ noſtræ Deo. 3. conflictus cum carne ſeu odium & mortificatio peccati in nobis. 4. vivificatio animæ noſtræ ſeu ſerium ſtudium vitandi illud.

Quis eſt ſecundus fructus fidei?

Nova obedientia, quæ eſt opus gratiæ, nos ad bona opera, ſecundum dei mandata præſtanda corroborans

Quot mandata humano generi dedit Deus?

Decem; quæ diviſit in duas tabulas: quarum prior continet opera pietatis ſeu amoris & ſanctimoniæ erga Deum, in quatuor primis præceptis; altera continet opera amoris & juſticiæ erga proximum in ſex vltimis

Quid generaliter tenendum de priore tabula?

Quod Deus primò & propter ſe intimè & immediatè amandus ſit, cætera omnia propter ipſum & in ipſo

Quid de poſteriore?

Quod officia charitatis erga proximum, hîc comprehenſa, cedant officijs pietatis erga Deum illic contentis, & quòd in Domino hominibus præſtanda ſint.

Quem agnoſcis pro proximo tuo?

Vnumquemq; hominum cui mecum conveniendi & mutuò teſtandi benevolentiam occaſio datur.

Quomodo erga perſequutores fidelium nos gereremus?

Ipſorum converſionem optare, ſed non cum ipſis familiariter verſari debemus.

Quid imperatur primo legis præcepto?

Solus veri Dei adoratio in mente, voluntate, & affectibus.

Quæ ſunt virtutes adorationis mentalis?

Intelligentia & ſapientia verbi Dei, & fides adhibenda verbi huius veritati.

Qua

Quæ his contraria hic prohibentur?

Ignorantia Dei ejusq; verbi, perversa Dei cognitio, (dicta in verbo illo stultitia) infidelitas, incredulitas & dubitatio de Deo.

Quæ sunt virtutes adorationis voluntatis & affectuum?

Timor & amor Dei intimus & supra omnia, patientia in adversis, fiducia in Deum ejusq; providentiam, & spes certa rerum in verbo Dei promissarum ad salutem pertinentium.

Quæ contraria his virtutibus hic vetantur?

Amor & timor cujusquam creaturæ major quàm Dei, diffidentia de illo, & fiducia in illam, impatientia in adversis, contemptus Dei, & desperatio.

Quæ virtutes totius animæ hic simul imperantur?

Interna invocatio Dei, animi nostri humilitas, & submissio ejus voluntati, & gratitudo pro immeritâ ejus erga nos bonitate,

Quæ his contraria hic vetantur?

Neglectus internæ invocationis Dei, superbia, magia omnis generis, atheismus, idololatria interna, tentatio Dei, & ingratitudo erga ipsum.

Quomodo præcipuè committitur hæc idololatria?

Dum divinitas aut interna adoratio vlli creaturæ attribuitur; ipsam, plusquam Deum amando, timendo, sive fidendo,

Quid imperatur secundo Legis præcepto?

Legitima Dei externa adoratio, sita in approbatione & vsu mediorum diuini cultus, quæ nobis ipse in Verbo suo præscripsit.

Quod est prius istorum mediorum?

Precatio

Prædicatio, auditio & professio verbi, & participatio Sacramentorum ejus consona regulæ verbi.

Quod est alterum medium?

Precatio soli Deo concipienda sicut & religiosa corporis inter precandum submissio.

Quid prohibetur hoc præcepto?

Omnis externa idololatria, superstitio, contemptus & abusus prædicationis & auditionis verbi, sicut & participationis Sacramentorum Dei,

Quomodo committitur externa hæc idololatria?

Dum adoratio seu geniculatio religiosa creaturis ullis, aut imaginibus tribuitur, aut ante has respective fit.

Quomodo committitur superstitio?

Dum media divini cultus non præscripta in verbo urgentur, & admiscentur cultui illi traditiones non necessariæ, cum necessitate amplectendi eas.

Quid primitus imperatur tertio mandato?

Vt loquamur reverenter de Dei titulis, verbo & operibus; & vt sincere nos geramus in ejus cultu.

Quid præterea hic mandatur?

Vt juremus per Deum solum verè, justè & cum judicio; idq; non nisi cogente veritatis necessaria declaratione; & ut vota Deo legitimè facta præstemus.

Quid primò hic prohibetur?

Profana usurpario titulorum, & verbi Dei, hujusq; depravatio.

Quid deinde hic vetatur?

Juramenta in communi sermone per Deum vana, aut susceptа per alium quàm per eum; item temeraria, & impia ad malefaciendum.

Qua

Quæ tertiò & maxime hic vetantur?

Omnia perjuria, execrationes, imprecationes privatæ, blasphemiæ, temeraria vota, & non præstatio bene susceptorum.

Quid imperatur quarto præcepto?

Vt impendamus diem Sabbathi sedulo, & in solidum sanctis & solis pietatis exercitijs.

Quomodo præcipue promovetur conatus tam pius?

Dum publicum verbi & Sacramentorum ministerium legitimè, eo præsertim die, exercetur.

Quid hoc præcepto vetatur?

Neglectus ministerij verbi, diebus Dominicis, neve hos mundanis negotijs, lusibus, aut professione incuria polluamus.

Quomodo & quando translata est septimi diei sancta observatio in primum septimanæ diem.

Hoc factum est Christi resurgentis a mortuis & Apostolorum ejus praxi; horumq; directione,

In quem finem.

Vt dies dominicus esset memoriale resurrectionis Domini; & restaurationis humani generis electi lapsi eo die peractæ.

Iam quod est generale opus secundæ tabulæ?

Vt alteri faciamus prout nobis fieri vellemus, ac proinde vt honeste secundum virtutem vivamus.

Quæ generales virtutes nos adhoc præstandum dirigunt,

Prudentia & moderatio; illâ rationem recte & accurate ordinandi actiones nostras earumq; circumstantias demonstrante.

Quá in re consistit hæc moderatio?

Est virtus, quâ erga alios eorumq; humanos lapsus moderate & leniter nos gerimus; nec rigorem juris exigimus ab ipsis.

Quid imperatur ergo quinto præcepto?

Vt promoveamus vocationem proximi; præsertim superiorum, exercendo justitiam distributivam.

Quomodo præstatur virtus hæc à superioribus?

Dum hi maxime idoneis ex subditis, aptas functiones assignant, præmia & pœnas juste distribuunt, eos legibus rite regunt, armis tuentur, ipsisq; bono exemplo præeunt.

Quomodo exercetur virtus hæc ab inferioribus?

Dum hi, præfectis sibi debita officia amoris, honoris, obedientiæ, reverentiæ & gratitudinis exhibent.

Quid hic prohibetur?

Ne aliorum, imprimis superiorum vocationi obsimus, ipsis inique vel ingrate officia illa subtrahendo.

Quid imperatur sexto mandato?

Vt asseramus nostram & proximi nostri vitam.

Quæ virtutes hoc præstare adjuvant?

Exercendo amicitiam, benignitatem, bonitatem, concordiam, fortitudinem, humanitatem, longanimitatem, mansuetudinem, misericordiam, modestiam, patientiam, & hisce pares iræ impetum & vindictæ studium cohibentes.

Quid hoc præcepto prohibetur?

Ne proximum, aut nosmet corpore aut animo lædamus; exercendo iram, odium, invidiam, æmulationem, inimicitias, injurias, ignaviam, inhumanitatem, contemptum, maledicentiam, malitiam, vindictæ cupiditatem, & pari.

Quid

Quid imperatur ſeptimo præcepto?

Vt conſervemus noſtram & proximi noſtri caſtitatem: retinendo conſtanter mundiciem animi & corporis, verbo Dei congruentem.

Quæ virtutes præcipue nos ad hoc præſtandum adjuvant?

Pudicitia, verecundia, modeſtia, & temperantia: per illas ſtudendo nos continere ab omni geſtu, & ſigno libidinis, & ſermone turpi; per hanc moderando cibi, potus & coitus appetitiones.

Quibus præſertim vitijs fœdatur caſtitas?

Exerendo impudentiam, impuritatem, ingluviem, ebrietatem, procacitatem, ſcurrilitatem, & ſcortationum intemperantiæq; genera reliqua, verbo Dei damnata.

Quid ergo prohibetur hoc præcepto?

Ne fœdas & a Deo prohibitas libidines foveamus.

Quid imperatur octavo præcepto?

Vt facultates noſtras & proximi juvemus, & ſuum cuiq; tribuamus; exercendo juſtitiam commutativam, beneficentiam, frugalitatem, contentationem, & hiſce pares.

Quæ hic vetantur?

Ne injuſtitiam in commercijs & contractibus, furtum aut fraudem erga proximum ejuſq; facultates exeramus: neve foveamus avaritiam, incuriam, parſimoniam nimiam, aut prodigalitatem.

Quid imperatur nono mandato?

Vt noſtrum & proximi noſtri bonum nomen tueamur, veracitate, ſimplicitate ſermonis, taciturnitate, & moderatione linguæ.

Quæ

Quæ ergo hic summatim vetantur?

Ne calumnijs, convitijs, mendacijs, falsis testimoniis, linguæ futilitate, jactantiâ, aut quovis eius abusu famam proximi lædamus.

Quid mandatur decimo præcepto?

Vt bene omnino de proximo, & ad ipsum pertinentibus cogitemus.

Quid hic prohibetur?

Originalis concupiscentia noxia, licet voluntatis cõsensu vacet: atq; adeo ne cogitatu saltem, proximo aut ad ipsum pertinentibus noceamus, cave concupiscamus.

Potestne quisquam hæc præstare?

Nullatenus, nam in peccatis nati sumus, & in multis delinquimus omnes,

Quid igitur nobis prodest hæc lex dei?

Indicans & aggravans nobis delicta nostra, nos ad Christum ejus impletorem, nostri vice, adigit.

Quid aliud præstat hæc lex?

Amplexis fide Christum, eiq; insitis monstrat quæ bona opera, cur, & quomodo præstanda sint.

Quo modo nobis observanda sunt hæc mandata?

Intimo, sincero, & constanti conatu & proposito obediendi vnicuiq; ipsorum; ex fide item obedientiam nostram dei verbo congruere, Deoque propter Christum acceptam esse.

In quem finem servanda sunt?

Tantum ad Deum glorificandum, proximum ædificandum, & confirmandam nostram vocationem, & electionem.

Iam quæ est tertia pars, Christianæ examinationis?

Illa

Illa respicit charitatem Christianã quæ non debet esse simulata neq; suspicax; sed fructuosa & ædificativa.

Qua in re præsertim consistit ipsa?

In condonatione injuriarum nobis illatarum, in tolerantia infirmitatum proximi, in vnanimitate & sympathia cum ipso; & in fraterna dilectione opere non verbo testanda.

Quomodo verificatur charitas esse talis?

Per preces nostras ad Deum pro fratribus, commendationem ipsorum apud homines, nostra item adhortatione, admonitione, consilio, consolatione, & opitulatione ipsorum, pro facultate & occasione nobis datis.

Iam quibus medijs generat & confirmat Deus fidem in nobis, & hoc ejus fructus?

Per predicationem verbi sui, precationis piæ exercitia, & administrationem Sacramentorum.

Vbi habetur verbum dei?

Tantummodo in authenticis libris veteris & novi testamenti.

Quid continent hi libri?

Continent omnem voluntatem dei revelatam, de salute in Christo obtinenda; seu omnia ad salutem necessaria.

Quæ est prærogativa horum librorum pra omnibus aljis scriptis?

Sunt divinæ inspirationis originis & authoritatis; plenæ perfectionis & certitudinis, & perspicuæ evidentiæ in necessarijs scitu ad salutem.

Quid hinc omnino consequitur?

Quod ab vnoquoq; ex populo dei legendi & credendi

dendi sunt: tanquam testimonia Dei, & vox Christi ovibus ipsius audienda; & regula fidei & operum observanda.

Quî nosti libros illos esse verbum Dei?

Spiritus Christi, quem Deus promisit credentibus in se, me ejus rei certificat: & efficit nos scire ea quæ sunt dei.

Quomodo ergo audiendum est hoc Dei verbum?

Ardente desiderio, maxima reverentia, & fide discernente & approbante quæ sunt spiritus dei: eiq; voluntas & conscientia humillime submittenda; ipsumq; memoriæ fideliter recondendum.

Nunc quid est precatio?

Est sancta, seria, & submississima invocatio dei, in nomine Christi pro omnibus necessarijs, cum exauditionis fiduciâ.

Ubi habemus exemplar precandi?

In oratione dominica; continente præfationem ad precandum, supplicationem septuplicem, & gratiarum actionem.

Quid habetur in præfatione?

Fulcrum & fundamentum fidei nostræ inter precandum substernitur.

Qua in re situm est illud?

In paterna dei erga nos affectione, & potentiâ plusquam sufficiente & prompta ad præstanda petita; vt pote incolentis cœlum.

Pro quibus rebus primitus & absolute orandum est nobis?

Pro assidua glorificatione majestatis divinæ; pro festinatione regni gloriæ ipsius, proq; plena sincera & prompta

prompta obedientia hîc regno gratiæ ejus exhibenda.

Proquibus rebus ſecundariò nobis precandum?

Pro neceſſarijs præſenti vitæ & ſtatui noſtro, in quantum Dei gloria & noſtra ſalus ferent.

Pro quibus alijs rebus inſtanter & aſſiduè oraremus?

Pro remiſſione peccatorum ſeu noſtri juſtificatione, pro ſubſidijs contra Sathanæ inſultus & noſtri ſanctificatione, & pro perſeverantia in gratia.

Quomodo igitur concluderemus preces noſtras?

Affectuoſa celebratione gratiæ dei, & perſuaſione nos ab eo adepturos quæ juxta voluntatem ejus & pro bono noſtro petimus in nomine Chriſti; quod innuit Amen.

Iam quid eſt Sacramentum?

Eſt ſacra & ſolennis actio, ſignis & ritibus quibuſdam a Deo inſtitutis promiſſiones gratiæ animo cujuſque fidelis, ſignis illis participantis, obſignans.

Quot Sacramenta Eccleſiæ ſuæ tradidit Chriſtus?

Duo, Baptiſmum ſignum initiationis noſtræ in illum & in illa; & cœnam Dominicam ſignum manſionis & nutritionis noſtræ in eadem.

Quid eſt Baptiſmus?

Eſt prius ſacramentum ſolenni aſperſione aquæ, in nomine Patris filij & Spiritus ſancti, obſignans aſperſo credenti remiſſionem peccatorum, & renovationem ſeu regenerationem ipſius, per ſanguinem & ſpiritum Chriſti.

Quî poteſt aſperſio aquæ illud præſtare?

Illud efficit non vllâ ſuâ vi aut efficacia, ſed virtute mandati & promiſſionis Chriſti creditæ hujus, Profecti docete omnes gentes baptiſantes eos in nomen

men Patris filij & Spiritus ſancti, qui crediderit & baptiſatus fuerit ſervabitur. Mat. 31. 19.

Quid eſt cœna Dominica?

Eſt alterum ſacramentum, ſolenni participatione panis & vini conſecratorum & diſtributorum, obſignans participantium fidelium animis ſuſtentationem ipſarum ad vitam æternam, virtute corporis fracti & ſanguinis effuſi Chriſti.

Quî poſſunt panis & vinum hoc obſignare?

Id efficiunt non vlla ſua vi aut tranſmutatione miſſificantium ficta, ſed tantum ordinatione & promiſſione Chriſti.

Recenſe mandatum & promiſſionem hanc?

De pane Chriſtus dixit: accipite, comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, de poculo hoc eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, Bibite ex eo omnes: de vtroq;, dividite inter vos, & hoc facite ad mei recordationem. Math. 26. Mark. 14. Luk. 22. 1 Cor. 11

Cur ſemel tantum converſi ad Chriſtum ipſorumque liberi baptizantur?

Quia baptiſmus eſt ſignaculum inſitionis noſtræ in Chriſtum (quod ſemel tantum fit) & fœderatis omnibus ac proinde fidelium liberis dandum: juxta illud, ero Deus tuus & ſeminis tui.

Cur frequenter communicarent Chriſtiani adulti cœna Domini?

Quia reiterata animæ & fidei ſuæ corroboratione Chriſto inſitis opus eſt; cujus corroborationis frequens cœnæ Domini ſumptio eſt confirmatio.

Obquam aliã cauſã ſæpiuſcule reiteranda eſt hæc actio?

Vt communicantes ſic celebrando & recolendo mor-

mortem Christi augescant gratiâ, mutua communione & amore; eiq; morti magis indies conformentur; & se hac tesserâ in fœdere gratiæ esse testentur.

Num omnes cœnæ Domini participes fiunt & Christi?

Christo. hac actione participant soli verè resipiscentes fideles.

Quid ergo signorum participatione captant incredvli

Eorum abiq; fide fruitione, sigillo hoc fidei abutuntur, dei fœdus Christiq; sanguinem per signum illud significata & oblata profanant; suamq; ita condemnationem obsignant.

Quî istud accidit?

Quia Christi sanguini & dei gratiæ illic oblatæ præferunt sua peccata, quæ nolint ob istam relicta; Deoq; promittenti diffidentes, ipsum(quantum in se est)mendacij coarguunt.

Quid inter participandum agerent communicantes?

Considerare & recordari debent serio & solummodo (animis in hoc intentis) in externis signis & ritibus, Christi crucifixionis modum, passiones varias, & fructus.

Quid statim post sumptionem præstandum ijs est?

Toto corde & ore ab ijs laudandus Deus pro præsenti perceptione gratiæ ejus, meriti Christi & efficaciæ Spiritus Sancti, secumq; vovere debent obedire post hac sincere tam gratiosæ Trinitati in æternum glorificandæ. Amen.

Recense quasdam ex primarijs promissionibus fidei veræ factis, ad tuam fulciendam?

1. Sic

1. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum unigenitum dederit, vt quiſquis credit in illum non pereat ſed habeat vitam æternam. Ioh. 3. 16.

2. Amen, amen (ait Chriſtus) dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ioh. 6. 47.

3. Chriſto omnes Prophetæ teſtimonium dant, remiſſionem peccatorum accepturum per nomen ejus, quemvis qui crediderit in eum. Act. 10. 43.

4. Hæc ſcripta ſunt, vt credatis Ieſum eſſe filium Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen ejus. Ioh. 20. 41.

5. Colligimus igitur fide juſtificari hominem abſq; operibus legis. Rom. 3. 28

Recita promiſſiones aliquas reſipiſcentiæ, & novæ obedientiæ factas?

Sacrificia Dei ſunt ſpiritus fractus, animum fractũ & contritum ò Deus non ſpernis. Pſal 51. 19.

2 Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient: nam qui ſecundum Deum eſt dolor, is reſipiſcentiam efficit ad ſalutem. Mat. 5. 4. 2. Cor. 7. 10.

3. Qui tegit defectiones ſuas non proſperabitur, qui vero fatetur & derelinquit, afficietur miſericordiâ. Prov. 28. 13.

4. Si hæc noveritis, beati eritis ſi ea feceritis: ſi quis voluerit præſtare voluntatem Dei cognoſcet de doctrina Chriſti. Ioh. 13. & cap. 7.

5. Beati integri viâ, qui ambulant in lege Iehovæ; beati cuſtodientes teſtimonia ejus ex toto corde quærentes eum. Pſal. 119. 1. 2.

Iam recenſe promiſſiones aliquot divinas precationi factas, & ipſius directivas?

1. Sacrifica Deo laudem, redde excelso vota tua, invoca me tempore angustiæ tuæ, & eripiam te, vt honore afficias me. Psal. 50.

Amen amen, quæcunq; petieritis a Patre meo in nomine meo dabit vobis (ait Christus) Ioh. 16. 23.

3. Quod si cui vestrum deest sapientia, postulet a Deo, & dabitur ei: sed postulet in fide nihil disceptans: Et multum valet deprecatio justi, si sit fervens. Iac. 1. 5. cap. 5. 16.

4. Hæc est fiducia quam apud Deum habemus; ipsum nos exaudire, si quid petierimus secundum voluntatem ejus. Ioh. 5. 14.

Iam recita proverbia quædam sacra moralia, mentem, linguam, & vitam in via prudentiæ dirigentia, & primo quæ mentem, fontem actionum dirigunt?

1. Anteit timorem Dei eruditio sapientiæ, & anteit honorem abjectio. Prov. 15.

2. Initium sapientiæ est timor Domini, timor Dei est odium mali. cap. 9. & 8.

3. Qui auscultat sapientiæ (verbi Dei) habitabit securè, id est, tranquillus a pavore mali. cap. 1.

4. Ausculta consilio (ejus) & accipe eruditionem, vt sapias tandem, nam præceptum est lucerna, & lex Dei, lumen, viaq; vitæ sunt correctiones erudientes. cap. 19. & 6.

5. Commonefacio te assidue, vt in Dominum colloces fiduciam tuam tu amplectere. cap. 22.

6. Contemptor verbi corrumpetur, qui autem reveretur præceptum, donabitur pace. cap. 13.

7. Ne confidas sapientiæ tuæ, time Deum, & recede a malo, in omnibus vijs tuis agnosce eum, & ipse

 diriget

dirige egressus tuos. cap. 3.

8. Summa curâ custodi cor tuum, inde enim vita egreditur, & ex eo prodeunt actiones vitæ. cap. 4.

9. Vt civitas disrupta absq; mœnibus est vir, qui non cohibet spiritum suum. cap. 25.

10. Patientes sapiunt & delictum dissimulare glorioſum est. cap. 19. qui tegit defectionem, quærit dilectionem. cap. 17.

Enarra proxime, decreta quædam moralia sacra linguæ in via prudentiæ directricia?

1. Homo instituit in animo, verum a Iehova est sermo linguæ. cap. 16

2. Qui observat os suum, & linguam suam conservat ab angustijs animam suam, nam mors & vita sunt in potestate linguæ. cap. 13. & 18.

3, Responsio mollis mitigat iram, sermo asper eam excitat. 15. juxta illud lingua mollis frangit ossеum. 25.

4. Totum spiritum suum effundit stolidus, at sapiens pone reprimit eum. cap. 29.

5. In multitudine verborum non cessabit defectio, sed cohibet labia sua intelligens. cap. 10.

6. Verax labium firmum est, at mendax subinde variat, liberatq; animas testis verax, at conflat mendacia dolosus. cap. 12 & 14.

7. Veluti mala aurea cum figuris argenteis est verbum dictum commode. cap 25,

8. Arcanum alterius ne retegito, ne audiens te contumeliâ afficiat. cap. 25.

9. Verba susurronis sunt vt verbera, penetrantq; in penetralia pectoris. cap. 26.

10. Mendax testis non erit impunis, & conflator men-

mendaciorum peribit. cap. 19.

11. Qui maledicit patri ſuo aut matri ſuæ, extinguetur lumen eius in nigris tenebris, cap. 20.

12. Stillans favus & fovea profunda eſt os ſcorti: cui iraſcitur Deus, is in eam incidet. cap. 5. & 22.

Recenſe tandem quædam divina decreta moralia, vitam ejuſq; actiones recte ordinantia?

Cor hominis deliberat de via ſua, ſed Dominus promovet greſſus ejus, proinde ſi Domino commiſeris opera tua, conſilia tua comparabuntur. cap. 16.

Auſculta fili verbo Dei, ac incede hac viâ, & eris ſapiens. cap 23.

Qui ambulat in integritate, ambulat ſecurè: qui vero pervertit vias ſuas documento erit, nam exercere juſtitiam & jus acceptius eſt Deo, quam ſacrificium, cap. 10. & 21.

Si quis texerit odium vt damnum det, revelabitur eius malitia in congregatione. cap. 26.

Ne dicas rependam malum, expecta Ichovam & ſervabit te; Si rependas malum pro bono, non diſcedet malum à domo tua. cap, 20. & 17.

Cum viæ hominis placent Deo, etiam inimicos pacatos reddet ei. cap. 16.

Qui obſtruit aurem pauperum clamori: clamabit ipſe viciſſim nec exaudietur. cap, 21.

Male affligitur qui ſpoponderit pro alio, & qui vitat ſtipulationes ſecurus eſt. cap. 11.

Pauper fit qui agit manu doloſâ, manus autem ingenue ſedulorum ditat ipſos. cap. 10.

Adulterans mulierem eſt demens: perditurus ſeipſum facit iſtud. cap. 6.

Ne æmulator malignos, neq; deſiderato eſſe cum illis: nam vaſtationem meditatur animus eorum & labia ipſorum pernicioſa loquuntur. cap. 24,

Qui cohibet virgam odit filium ſuum: qui vero amat eum, tempeſtive quærit vt erudiatur. cap. 13,

Stultitiam alligatam animo pueri virga eruditionis procul amovebit ab illo: caſtiga proinde filium tuum dum eſt ſpes, & quietem afferet tibi. cap. 28. & 29.

Atq; hactenus pædagogia moralis pars prior, ſequitur poſterior, ſeu externa moralis puerorum inſtitutio: ea vulgò dicitur civilitas.

CIvilitas morum eſt laudabilis membrorum corporis, geſtus, & converſationis externæ, ad honeſtatis decorum ordinatio.

Civilitatis hujus, quà adoleſcentes ſtudioſos reſpicit, gradus ſeu partes ſunt octo: quarum prima eſt civilitas obſervanda in ordinandis corporis membris 2. civilitas circa veſtitum ſervanda. 3. in frequentandis ſacris. 4. civilitas & morigeratio ab ipſis præſtanda in ſchola. 5. in luſibus. 6. in convictu & conviviis. 7. in cubiculo & lecto. 8. deniq; civilitas eis exerenda in communi converſatione.

Mag. Recita, & in praxin redigere curato primaria præcepta decoræ ordinationis corporis, ex Eraſmo.

Pu. Cum vultus diſpoſitio ſpeculum ſit compoſitionis animi; oculi imprimis ingenui adoleſcentis eſſent placidi & verecundi: facies hilaris & gratioſa, animum modeſtum & ſedatum non turbulentum præ ſe ferens.

Sint exporrecta ſupercilia, non ſublata in altum (quod eſt ſignum arrogantiæ) nec in oculos depreſſa, quod eſt male cogitantium.

Frons

Frons sit explanata non caperata & rugosa (quod est signum torvitatis) sed serena, mentem sibi bene conscian & ingenium liberale arguens.

A naribus absit mucoris purulentia: strophiolis proinde non brachio tunicæq; ora excipiendum est narium excrementum: idq; paulisper averso corpore, si qui adsint honoratiores.

Malas tingat nativus & ingenuus pudor: qui cum intentior est, moderandus erit frequentatione conventuum, vbi colloquia cum gratia conseruntur.

Os nec prematur nimium nec hiet; sed leviter osculantibus se mutuo labijs sit conjunctum.

Si fors vrgeat oscitatio, eructatio, aut sternutatio, nec datur averti: strophiolo, volave tegatur os: nam quantum fieri potest, clam alijs eructandum est.

Nec mordeto labrum, nec scalpito caput, nec fodito aures inter loquendum.

Vomiturus secede; nam vomere turpe non est, sed ingluvie vomitum accersisse deforme.

Aversus expuito, ne quem aspuas aspergasve: excrementa verò oris & narium purulentiora prompte interram projecta conculcato.

Dentium mundicies curanda, eos pura aqua mane & potu aliquo (post sumptum cibum) proluendo: si quid ijs inhæsit osciculis aut calami cuspide, non cultro aut vnguibus eximendum est.

Superioribus dentibus labrum inferius premere minitantium gestus est: scurrile verò labiorum oras linguâ circumvoluta subinde lambere.

Risus sic hilaritatem exprimat; vt nec vultus habitum, rictu oris late diducto dehonestet, nec cachin-

nos

os levem ob causam excitando, animum dissolutum arguit.

Rusticanum est impexo esse capite, magis tamē subinde scabere caput apud alios: absint sordes lendium & pediculorum pectendo subinde crines radijs pectinis rarioribus mox densioribus.

Coma nec frontem tegat, nec humeris involitet, nec reliquâ abrasa, cæsaries longior ad auriculas excrescat levitatis non nobilitatis index.

Cervix nec in lævam nec in dextram partem vergat: hypocriticum enim est illud; nisi colloquium, aut aliud simile postulet, aut naturæ id vitio invaluerit.

Inflectere cervicem & adducere scapulas pigriciæ speciem habet.

Humeros oportet æquo libramine temperare, non in morem antennarum alterum attollere alterum deprimere.

Molliter curvatis brachiis & complicatis manibus stantem puerum esse decet: vtrumq; etiam brachium in vtrumq; femur dimittere inter repetendum aut respondendum, ei laudi datur.

Truncum corporis tunc erectum, non incurvatum, nec resupinum habere adolescentem decet.

Membra quibus natura pudorem addidit citra necessitatem detegere dissolutam indolem arguit, quin vel urgente necessitate, summa cum reverentiâ id agendum est, etsi nemo testis adsit: nunquam enim non adsunt angeli, quibus est gratissimus pudor, comes custosq; pudicitiæ.

Lotium ventriscq; flatum remorari valetudini noxium censetur: secreto & seorsum reddere verecundum & salubre.

Se-

Sedenti genua, ſtanti pedes modice diducantur: ſedenti pedibus ludere, aut manibus geſticulari, levitatis indicium eſt.

In flectendis genibus aliud apud alios receptum eſt; apud noſtrates jam maxime commendatur, modulato corporis circumactu dextrum pedem inflectere, mox ſiniſtrum; ſed puero dextrum retro incurvare plauſibilius habetur.

Inceſſus nec fractus ſit, nec præceps, nec vacillans, ſed æquabiliter alternatis paſſibus procedat.

Quæ circa veſtitum civilitas puero obſervanda?

In veſtitu, altero animi judicio, multum natalis ſoli conſuetudini tribuendum: ergo facultatum dignitatiſq; modo, & mori gentis congruenter, adſit cultui tuo mundicies, nec luxum faſtumve arguens, nec ſordibus notabilis.

Caveat puer ingenuus manicarum oras narium muco veluti tectorio incruſtare: diſſecare vero veſtem, aut picturatis veſtibus uti, aulicis magnatumq; aſſeclis & morionibus relinquendum.

Si quid elegantioris cultus dedere parentes, ne te aliis oſtenta more pavonum: alij te mirentur, tu te bene cultum eſſe diſſimula, nam quo major eſt fortuna, hoc amabilior modeſtia.

Galerum aut pileum recte capiti tuo imponito, non ad alterum latus ipſum attollens: eumq; prompte, & hilariter obvijs quibuſcunq; alicujus notæ aperire memento.

Pallium humeris tuis imponatur æquabiliter, non oblique, & circumveſtiat te non ſub axilla involutum, (ſi ſit tenuioris fili) ſed vtrinq; pariter dependens.

Mez

Memento ſubligaribus, tibialia tua ad poplitem decenter colligare, zonâ limbos cingere, calceos recte pedibus aptare bene terſos & nigratos,

Togam (ſi datur) civiliter induito. & circumferto, brachia per ipſius manicas inferens, & ipſam ejuſque fimbriam talarem aſpurcitie mundam conſervans.

M. Indica tertiò quæ in templo pueris decentia exprimenda eſt?

Templum ingreſſus pro concione, ne obambula tanquam in porticu aliquâ triviali, ſed ſedem tuam accedens, nudato capite, incurva illic teipſum: & ad Deum mentem tuam erigens operto vultu, ipſum obnixe roga, velit peccata tua propter Chriſtum filium ſuum condonare: ob ea, ipſumq; illis offenſum, te dolore pio compungere, fidei obedientiam verbo prædicando largiri, corq; tuum omni malitia & mundanis cogitatibus purgare, teq; totum ſanctificare, quò fias templum ſpiritus ipſius, ſacrificium vivum, rationale, & Deo acceptum.

Memento publicis precibus (quantum per ſtudiorum vacationem & ſcholæ licentiam licebit) intereſſe & participare; ipſas applicans animo tuo, ex ore precantis publice effuſas: & cum reliquis auditoribus ſubmiſſe & affectuoſe exprimens.

Cantionum ſacrarum ne ſis incurius: ſed ipſas cum reliquo conventu dulci vocis modulatione (ſi valeas) & ſimul harmoniâ vocis cum mente, vociſq; tuæ cum reliquorum concentu reverenter eructa.

Ad concionantem ſpectent oculi tui immobiles, huc etiam attentæ ſint aures, huc inhiet animus omni cum ardore hauriendi ei cibum; & preconem agnoſce pro Dei legato, voluntatem legantis juxta ipſius præſcrip-

tum nobis exponente. deniq; finita concione & publico cultu divino, modeſte locum tuum relinque, cum reliquis templum egredere, ſine tumultu curſu aut præcipitantia.

Pu. *Iam quæ nobis pueris in ſchola & auditorio quotidiano, morigeratio & civilitas exprimenda eſt?*

Mag. Horas conventui ſcholari præſtitutas præciſe ſervato, vel potius antevertito,

Ingreſſus ſcholam mane, nudato capite accedito claſſem tuam modeſtè, ſedemq; inibi captans, ſerio & ſecrete paucis precator Deum, pro benedictione diurnis tuis ſtudijs obtinenda.

Mox accingens temet libenti & attento animo ad librum: incumbe primitus mandando memoriæ penſo matutino: deinde eo, elata voce repetito, attente, auſculta prælectionis tuæ & inferiorum interpretationi; tuæque expoſitionem (ſaltem phraſium ipſius illuſtrationem) in ſcribito codicillis tuis.

Deinde eandem illam interpretationem & illuſtrationem publice habitam, tu privatim gnaviter cum condiſcipulis claſſis tuæ conferto, matutinis horis: meridianas compoſitioni thematum (vt vocant) & ſcriptioni dicans, pomeridianarum partem aliquam diſcuſſioni partium lectionis tuæ, aliam transferendæ portiunculæ Authoris alicuius claſſici præſcripti, in vulgarē linguam; tertiam mandandis memoriæ prælectis inſumito.

Repetiturus, iiſdem horis prælecta, ſtato erectus manibus genua verſus dimiſſis: reſponſurus examinanti te, obtutum ipſum intuitor.

Studioſus neutiquam perreptaret ſcholam nec loco

ſuo

ſuo egrederetur, niſi rogata prius venià aut a doctorum aliquo illinc evocatus, nec claſſem ſuam, in ſede permanens nugis aut rixis interturbaret.

Imprimis mi puer, caveto te refractarium aut obloqui loquum monitis & promeritæ correctioni præeuntium prebere: hujuſmodi quippe procacitas & contumacia, eruditionis fruſtratione aut damnoſa interruptione (deplorari poſt ſolitâ) ſæpiuſcule punitur.

Quæ in prælectis non intelligis, aut de quibus dubitas, intrepide & ſollicitè doctiores teipſo vel potius doctores tuos conſulito: quos quæſtionibus in ſchola obtundere conducibile maxime puero philomuſo habetur.

Optati profectus magna cenſenda remora, inter publicas repetitiones & examinationes, proximo repetenti aut reſpondenti quicquam a ſocio ſuggeri: proinde a tam noxio cacoethes ſcholaſticis abſtinendum.

Inter repetendum nec lingua præcipiti, nec ſis nimis tarda; ſed diſtincte, articulate, & ad punctum adſueſcito proferre quæ publice legis recitas aut reſpondes, ſine muſſitatione, aut immurmuratione gutturis.

In claſſe ſodalem fugillare, loco pellere, percutere, calcare, pungere, inſolentem naturam arguit modò ex habitu fiat, & nuſquam non ſcurrile ducitur: ac proinde caſtigatione prudenti reprimenda eſt talis inſolentia, ſicut & convitijs ſocium proſcindere, aut ipſi exprobrare progeniem nævos aut quæcunq; odioſa dicta.

Deniq; ſcholaſticis imprimis laudi datur in publicis ſcholæ precibus quàm reverenter & religioſe ſe gerere, & in precando geniculari; erga diſſolute, aut

pro-

profane inter precandum se gerentes, severa (a quibus interest) correctione animadvertendum, ne vtriq; sibi judicium spreti cultus divini, a Domino accersere malint juxta illud: Volo glorificari in appropinquantibus mihi, ait terribilis Iehova. Levit. 10.

Pu. *Iam præcipe quis puero inter convivandum, item in cubiculo clanculum decor exprimendus.*

Mag. In convivio convictuq; puer graviter pro ætate se gereret absq; petulantia, corporis agitatione & gesticulationibus: nec nisi lotus, præfectis etiam vnguibus, flexoq; poplite salutatis convivis, mensæ accumbat.

Iussus consecrare mensam; mentem, vultum, manusque ad religionem componeret: distincté, clare & cum affectu consecrationem mensæ & gratiarum actionem concipiens.

Sedis honorem alteri libenter cedat, & ad honoratiorem mensæ locum invitatus verecundè & reluctanter obtemperet.

Accumbens puer vtramque manum super mensam haberet, non conjunctim tamen sed ad orbis vtrumque latus: cubito vero vel altero vel vtroq; mensæ initi, non nisi senio morbove lassis permittitur. Corpus in mensa æquo libramine sit erectum.

Cum honoratioribus puer accubiturus, aperto esset capite; nisi aliter alicujus ex convivis dignitate præstantis authoritas ipsum tegere caput velit.

Mantile ad inguen superterneret: a dextris ei adsit cultellus escarius, ad lævam panis; quem eo secaret decenter, non in frusta ipsum summis digitis revellens.

Convictum non statim a poculis auspiçetur, nec statim

tim poſt ſumptam ex jure offam, minùs poſt lactis eſum; idq; (quantum fert valetudo) de tenui aliquo potu.

Antequam bibat, præmandat cibum, ipſoq; evacuet os, & abſtergat prius labia: inter bibendum ne retortis oculis alios intueatur.

Primus cibum appoſitum ne attingat, ſi cum majoribus accumbat, poſtremus, neq; id niſi invitatus.

Digitos in juſculenta aut condimenta ne immergat, ſed offæ porriunculam cultri mucroni infixam iſtis intingat: & de coctis, aſſis, aut conditis, ſectis partibus, delicate tollat cultello, aut primis duobus digitis pollici admotis quod velit, & coram ſe proſtat: inter ſecandum infimos duos digitos deprimens.

Si quid in os ingeſtum eſt, quod deglutire non expedit, clàm, averſo vultu, & ore mantili velato in terram projiciat.

Digitos unctos vel ore & labijs prælingere, vel ad tunicam abſtergere caveret; mantili id faciendum erit.

Si quis alius cibum ipſi porrexerit minutiorem, porrecto orbe accipiat agens gratias: ſi vero quod oblatũ eſt minus ſuo ſtomacho congruat, minuſve palato ſuo gratum videatur: caveat tamen recuſare, ſed acceptum in orbis angulum ſeponat,

Panem præroſum iterum in jus immergere, aut cibum ambeſum & oſſa ſepoſita repetere, & denuo dentibus arrodere vitio datur.

Tres digiti ſalino impreſſi agreſtium habentur inſignia: proinde puer cultro ſumat ſalis quantum ſufficit: & ſi longius abſit ſalinum, porrecto orbe peteret.

Carnem prius minutim & decenter in orbe ſuo diſſecaret,

secaret, mox addito pane, simul aliquamdiu mandat, priusquam in stomachum trajiciat, id enim non tantum decorum sed salubre habetur.

Ore pleno bibere aut loqui nec honestum nec tutum est: invrbanius adhuc oculis diutius intentis aut circumactis, observare quî quisq; comedat aut bibat, sed maxime incivile, transverso in tergum capite contemplari quid rerum geratur in domo.

Puer cum natu majoribus accumbens raro loquatur, nisi aut cogat necessitas, aut abs quopiam invitetur: lepide tamen dictis modicè arrideat, obscœnis nusquā.

In convictu & convivio nihil ei effatiendum, quod offuscet decorum aut hilaritatem: absentium ibi famam lædere piaculum, vituperare quod appositum est, ingratum censetur.

Quod ibi fit diciturve vino inscribendum, juxta vetus amabile proverbium: memorem compotorem oderunt omnes.

In mensa inter respondendum aut propinandum, caput tectum more Gallico retinere civilius & consultius habetur, ne forte illud detegendo, pili aut aliud inde excrementum in quadram aut poculum incidant.

Si quid inter epulandum a quopiam fit rusticius per imperitiam, civiliter dissimulandum, non irridendum puero erit, nam convivatores decet vrbana libertas.

Denique; in mensa non hæreret vsque ad convictus finem, si illud prolixius fuerit: nisi forte conferantur sermones de literis aut literatis; sed comesto quod satis est surgeret, & flexo iterum poplite salutatis convivis, secedat aliquò a mensa, donec gratiarū actio celebrata fuerit.

Quod

Quod munus si ipsi impositum fuerit: stans ante mentæ meditullium, complicatis ad pectus manibus, elatá voce agat gratias Deo, prout in schola, aut superius edoctus est.

In cubiculo vero commendatur in puero silentium, & verecundia, clamor & garrulitas ibi indecora habentur, sed præsertim in lecto.

Quem puer petiturus, pensum prius scholasticum sequentis mane aliquoties relegeret, sic cras melior ei suppetat prælecti reminiscentia.

Sive cum exuit se, sive cum induit aut surgit, memor verecundiæ, nihil nudaret sociorum & accumbentium oculis, quod mos & natura tectum esse velit; neq; occasione loci erumperet in dictum aut factum quodvis turpius: nam cùm angeli Domini ex cubias semper super nobis agant, cogitet se illos habere testes actionum suarum externarum maxime secretarum, imo Deum vbiq; præsentem vindicem, si insolenter & impudice se clàm gesserit.

Si cum sodali lectum puer communem habet, illum ingressuri vterq;, ante ipsum genibus flexis precentur Deum vt superius traditum est: idem facerent mane primum surgentes, primas animi cogitationes & vitæ diurnæ acta Deo dicantes: neć enim queant ab omine fæliciore auspicari diei pensa.

In lecto puer quietus jaceret & taciturne, sine strepitu, vociferatione, agitatione corporis, aut colloquio prolixiore: nec se aut socium ibi denudaret, strata lecti evolvendo, aut illum molestando ex occasione solitudinis loci.

Pu. *Sequitur vt edoceas quæ inter ludendum civili-*

tas

Mag. In lusibus liberalibus puer hilaritatem & alacritatem exprimeret ingenuæ indoli congruentem: absint procacia, petulantia & pertinacia rixarum parens; absit dolus, altercatio & mendacium: ab hic enim rudimentis sæpe ad vulnera & cædes devenitur.

Pulchrius vincit qui cedit contentione, quàm qui palmam obtinet: proinde arbitris ne reclamita.

Puer ingenuus in lusu non minus quàm in schola modeste se gereret & honeste, nihil turpe aut impudicum exprimens: nam animi & corporis recreandi gratiâ pueris conceditur lusus; quò ille studijs fatiscens respiret, novasq; vires ad hæc rite obeunda acquirat; hoc vegetius & alacrius ad menti serviendum reddatur.

Alearum chartarumq; ludos & cætera sorti obnoxia exercitamenta fugito: in hujusmodi quippe (vt plurimũ) non viget ars sed fraus, nec habet locum ratio sed casus; nec alius tandem inde manat fructus quàm luctus lis & jactura bonorum: vtcunq; quidam veteratoria earum dexteritate opes sibi amplificasse autument.

Concessa ludendi veniâ, puer primus campos aut inter primos peteret, & inde ad scholam publica revocatione jussus tam prompte rediret: nullâ inter eundum, ludendum, redeundum sodales injuriâ afficiens; nec se in campis a grege scholastico subduceret, minus urbem (si ibidem instituatur) ingrederetur aut perreptaret, nisi a parentibus cum præceptoris venia data accersitus.

Pu. *Tandem quæso, mi præceptor, de conversationis puerilis civilitate præcipias, quæ nobis maxime profutura censes.*

Mag. Memento mi puer omnibus alicujus notæ obviis locum cedere & aperire caput prompte & comiter: iuxta hoc dei mandatum *honore alij alios prævenite.*

Cum majoribus loquere paucis & reverenter, cum æqualibus comiter, cum inferioribus amanter; inter loquendum cum illis, galerum dextrâ leviter admota vmbilico finistrorsum teneto.

Oculi tui intente spectent cum quem alloqueris, nihil procax improbumq; præ se ferentes: transversum vero vel obliquè tueri, gestus est aversantis vel insipientis; sicut & inconstantis animi, vultum oculosq; huc illuc volvere.

Nihil in congressu adolescentum cum quibusvis, verecundiâ gratiosius censetur: quam candore suffusus rubor, velut ornatus quidam commendat; nec temere ad frugẽ deveniunt, in quibus nulla elucet pudoris significatio: sin vero in primo congressu erubuit puer salvares est, juxta Comicum.

In colloquio tuo cum alio, vox tibi sit sedata, sed non ita pressa vt non perveniat ad ipsius aures; sermo tuus distinctè non confuse, mussitanter, aut præcipitanter proferatur.

Inter loquendum nec caput quassato, nec sint gesticulosæ manus, pedesve.

Subinde vero titulum honorificum ejus quem compellas repetito, tunc etiam truncum corporis æquabiliter moderari memento.

Obscœne dictis nec linguam nec aures prebeto; quicquid enim inhoneste audatur oculis hominum, idem indecenter usurpatur linguâ & ingeritur auribus:

pro-

proinde si res exigat, vt aliquod membrum pudendum, aut aliud nauseam movens nominetur, circumtione verecunda rem notato, prælato prius auribus honore.

Si quid refellendum est, cave dicas *mentiris*, taliquippe cõtradicendi diabolica procacitas maximarũ cladium inter adolescentes nobiles præsertim Gallicanos extitit: ex quo Iesuitæ gubernationem juventutis Gallicæ invaserunt, unde duellorum læthiferorum secunda ibi promanavit strages: Sed tu hâc aut simili utere excusatiunculâ: *Pace tua mihi aliter narratum est, aut perspectum.*

Vera semper candide proferre admititor, æquivocatoribus prædictis, eorumq; seductis sectatoribus relinquens pythonicam dissimulandi & æquivocandi formam: quin & vllatenus perplexe, intricate, dolose, loqui & tergiversari diabolicum.

Improborum sodalium & dissolutorum commercia vt pestem effugito: nam vt contagia ex conversatione & contactu in corpus, ita vitia, pravis fœdisq; sermonibus & actionibus in animum transeunt, eumque contaminant: juxta illud ab Apostolo citatum, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

Vt autem laudem sine invidia invenias & ámicos pares, assuescito omnes perferre ac pati quibuscum versaris, eorum obsequi studiis modò honesta sint, adversans nemini, nec te præponens paribus, minus majoribus.

Cum nemine simultatem suscipe, sed cede potius de jure tuo, si res ad jurgium deveniat, aut ad arbitrum provoca: est enim non tantùm generosi & modesti animi

nimi; ſed & renovati indicium, aliis in bonum, non ſibi ſuiſque affectibus indulgere.

Nullius inſtitutum reprehendito, nullius famæ obtrectato, nec mores denigrato: nulli exprobres vitium ipſius aut parentum & agnatorum ejus ipſis a natura inſitum: id enim inhumanum & contumelioſum jure habetur; ne probro afficias revertentem a peccatis, memento nos omnes eſſe infeſtos increpationibus ſalacibus: nec dedecore afficias vllum de ſenectute ipſius, reverenda eſt canicies præſertim ornata intus pietate & iuſtitia.

Qui compos eſt linguæ ſuæ, cum altero ſine pugnis traducet vitam; proinde ne repetas ſermonem malũ, audiviſti talem: moriatur apud te, & non erit tibi detrimento. Homo aſſueſcens ſermonibus probroſis nunquam erudietur: & qui multum iurat plenus eſt iniquitate, nec abſcedet a domo ejus flagellum.

Ne de progenie tua, ingenio, veſtibus, aut opibus parentum ita blanditor, cave ſic jactitato; vt præ illis aliena deſpicias.

Imprimis inanem eruditionis acquiſitæ perſuaſionem exuito: nihil enim magis peritiæ maturitatem ſuffocat, & remoratur; quàm tempeſtivius arrepta & fota magnæ eruditionis opinio: quæ ſtudioſum eam foventem longè intra metam ſubſidere efficit.

Nunquam in animum induxeris alienæ calamitati inſultare, ſed condoleſce potius aliorum infortuniis, illæ etenim ſunt vices rerum humanarum, vt quod cuiquã accidit, cuivis contingere poſſit.

Alienarum rerum ne ſis curioſus obſervator nec percontator: in hoc ſatius incumbens, vt teipſum intus & extra

extra exeutias & cotrigas, quàm vt aliorum mores & facta inquiras aut reprehendas: de percontatore verò auſcultа Horatio.

Percontatorem fugito nam garrulus idem eſt

Ne cui credas quod tacitum eſſe vis; nec ab alio ſilentij fidem expecta, quam ipſe tibi non præſtiteris: ſaltem tutum erit, vel intimo amico nihil committere & revelare, cujus te pudeat, ſi proferatur.

Ne quoſvis ſine diſcrimine in familiaritatem tuam admittito: equidem vt omnibus fidum & benignum te prebere decet, ita nec cuiquam temere fidere, niſi cum quo diutinum vitæ conſortium habueris, cujuſq; taciturnitatem & fidelitatem probe perſpexeris.

Et quia humanæ naturæ ad ſocietatem creatæ & propenſæ conſentaneum valde eſt ſodalicitium; cum eo tantùm de intima amicitia paciſcere, qui eſt timens dei & ſympathia vere chriſtiana tecum afficitur.

Si ſenſeris inter aliquos ſecretius oriri colloquium, ſubmove te diſſimulanter, nec te in iſtud ingere niſi accerſitus.

Quidam reſpondent priuſquam abſolvat compellator, ſed reſpondenti aliquid quod nondum totum audiverit, id ſtultum & ignominioſum ei eſſe aſſerit Salomon: Pro. 18. proinde ſi de reſponſo ad propoſitam percontationem, vrgeare paulum moræ interponens mox paucis & jucunde pro intelligentia tua ad interrogata reſpondeas.

Deniq; in converſatione tua maximum ducito civilitatis momentum ſociorum delictis facile ignoſcere, & mores inconditiores tolerare; modò tua morigeratione & tolerantia ipſum ad virtutis gyrum revocare

queas: nec tamen in gravioribus ejus delictis ei connivito: sed serio ipsi de illis coarguens, ipsius cõscientiam compungere adnititor, quoad illa detestetur, & emendet: *Atq; hac de Pædagogia morali quantum studiosæ juventuti sufficerit.*

FINIS.

Perioche mutabilitatis externi hominum status sub immutabili & omnia certò dirigente providentia divina, *E vulgari.*

Quid si forte dies, mensis vel blandior annus,
Mille tua eventu felici vota coronent?
Unius anne queat momenti casus acerbus
Mille malis eadem subvertere lata repente?
Gloria, prosperitas, lasciva juventa, venustas,
Sunt flores, qui mane virent, mox vespere marcent,
Delirans, pereunt amor, &, velut umbra voluptas,
Gaudia sunt mera ludicra sensa: ut inertia fallunt:
Nec spatium vitæ quisquam producat ad horam.
Præ mundi spatio tellus, præ terra, homo, punctum,
Ergone de puncto sic punctus homuncio jactet,
Punctili ut usurâ nimis oblectetur adepta:
Fortuita existunt terrestria quæ bona nobis,
Et nihil humani durabile perstat in orbe:
Delitiæ rivo similes per prata fluenti,
Tempus abit bene vel male nec patitur revocari,
Fata regunt secreta status dolea ve, hilaresca.

ogeum

Elogium hoc truthent metris breve, pondere grande

NObilis *Essexi* quod cignea vox modulata est,
(Angelicæ similis, profert quale *Anglia*, linguæ)
Cum vitæ finis capiti impendêret & ensis:
Qui nimis addicti mundi pereuntis amori,
Plus sibi quàm par est fidunt alijve potenti,
Nec fugitiva sacris redimunt sua tempora curis;
Quæ mentes cœlum comitantur ad vsq; supremum.

Authoris Meditatio matutina.

CVM gravis somni illecebra micante
Mane, rumpuntur tenues, subitq́;
Otij lenti anxietas diurno
Tempore menti.
Ne vagum cor vehificans in æstu
Vitrei ponti ad scopulos ferretur,
Anchoram ad sacram trepidus vagantem
Sistocarinam.
O pium spartæ exilium repressæ!
O meæ blandum effugium camœnæ!
In quod abducens animum, solum mens
Spernere gestit:
Sic Dei nostrûm miseret Proneæam;
Sic Patrem Divùmq́; hominumq́; regem
Non piget terras humiles simulq́; in-
visere cœlam.
Ad sacras ergo sapientiæ aras
Ignibus castis adolens penates;
Et voluptatum illecebras, & iræ
Mactofurores:

Tum

Turbidos motus animi rebellis
Codicis ſacri ad ſpeculum refingo,
Quamq́ contendens ſpeciem cavere
Sedulò luxus:
Clanculùm quicquid regerat ſuſurrans
Livor, vt famæ maculas inurat,
Simplicis veri & ſatagens prematur,
Sed retegentur:
Et Pater gratis mihi qui favebas,
Non ſines in me dominari iniqua;
Gratiam augebis magis, elueſque
Probra prementum.
Antè qui Gnatum mihi contuliſti,
Cuncta quæ noſti bene profutura
Suggeres ſecum, ſimul & roganti
Te Paracletum;
Quemque dilexti deamabis vſque:
Hac fovens mentem & melioris ævi
Spe bona, dignis ſtudijs caducam
Tranſigo vitam;
Meq́ promiſſis Domini fidelis,
Fulcio contra mala cuncta mundi,
Impetus contra Sathanæ ſaluti
Inſidiantis:
Cor pio plangens jugiter dolore,
Ob mea vitæ aſſiduos reatus,
Mentis errata ob, prope cogitatu
Ocyus aucta:
Hic thronum pulſo lachrymis Iehovæ,
Singulas culpas lavet vt cruore
Filij, ſordes animaq́ purget
Pneumate ſacro.

Mole peccati cupiens levari;
Inclytum expecto jubar æquitatis,
Prorsus infandum supero & fruendum in-
Limine lumen.
Lucis o fons! fluvium salutis,
Gratiæ è vena saliente fundens
Christe, selecti generis Redemptor
Vnice mundi!
Da tuo mî nunc comiti per hujus
Orbis anfractus scelerumq́, fraudes,
Te frui in cœlum, duce te, via te,
Lumine & aurâ. Amen.

Ejusdem Eucticon.

QVam mihi Iova fidem prius es largitus adauge,
Ipsa tui, Christi, & fratrum fœcundet amore:
Quottidieq; mei crescat metanœa reatus:
Simplice gaudenti vero data scandala tolle,
Dirige me in recto constanter calle salutis,
Hanc precor vt gratis mihi dones propter Iesum.
Os ac ossa inibi munus funusq, capessant
In Domino, prosint ubi multum dona tributa.
Amen.

Ejusdem Coronis.

OMnis Iehovæ gloria
Ad umbilicum qui mihi
Perduxit hoc opusculum,
Quod perlegenti prosperet:
Cedat laboris laus mei,
Patriq; Gnato & Spiritu
Trin-uno & æterno Deo.
A quo fuere condita
Et sustinentur omnia,
In quo movemus, vivimus
Omnes Adami posteri:
Per quem fruemur gloria
Cœli supremi in regia
In filium qui credimus
Ecclesiæ partam suæ
Iconibus non flexili
Gratis salutem qui dabit:
Et Antichristum funditus
Perdet propulsum ad inferos.
Amen.